Tabulæ de Sche-
MATIBVS ET TROPIS
Petri Moſellani.

IN RHETORICA PHILIP
pi Melanchthonis.

IN ERASMI ROTERODA-
mi libellum de duplici Copia.



SECVNDA EDITIO.

PARISIIS.
EX OFFICINA ROBERTI STEPHANI
M. D. XXXII.

PETRVS MOSELLANVS CANDIDO LECTORI SALVTEM.

OMnes latini ſermonis delicias, in figuris & tropis potiſſimum ſitas eſſe, nemo eſt vel mediocriter eruditorum qui neſciat, ſtudioſe lector. Etenim vt pictura non ſimplex, ſed quæ variis diſtinguitur coloribus, ſpectantiū oculos maxime paſcit, & pratū omnigenis variegatum floribus inambulantibus arridet, ita oratio non vndique ſui ſimilis, verum ſuis interſperſa figuris, ſuis variata tropis, auditorū aures capit, meretúrque applauſum: adeo, vt præter Græcos, qui huic negotio volumina dederūt, & Cicero, & Quintilianus in dicendi arte principes, hac de virtute diligentiſſime perſcribere dignum putarint. Quamobrem cū tot figurarum, tot troporum non minus ſit neceſſaria cognitio, quàm memoria difficilis, & ipſum me operæ pretium facturū exiſtimaui, ſi quæ ad hāc rem pertinere videbūtur vniuerſa, ex probatiſſimis ſcriptoribus tum græcis tum latinis, in breuē hanc tabellam congeſſero, certáque deſcriptione arctaro. Quam ſi in locū in quo frequenter verſaris, ſuffigas, futurum vt quum nunquam nō oculis obuerſetur, in memoriæ theſaurum citra moleſtiā reponatur. Qua in re candido ſuffragatur calculo Eraſmus Roterodamus

noſter, omnium quos ſol hic vidit vt doctiſſimus ita & eloquentiſſimus, idem quod nobis conſultũ videtur, præcipiens. Porrò vt quid ſecutus ſim, ſcias, primũ figuras λέξεως omnes, orationis vitia cõplura, tum virtutes in quib⁹ tropi ſunt, inſigniores exhibemus: eáque omnia, tametſi præter aliorũ conſuetudinẽ, σχήματος nomine cõprehendimus. Non quod ita rectius quadrare cenſeam, ſed quòd hac ratione vniuerſa facilius in ordinẽ, qui memoriã vel cum primis iuuat, digerantur. Deinde ipſa nomina quæ vbique fermè corrupta deprehenduntur, ſuæ integritati reſtituta Græce reddimus, iis etiam, quæ vel Tullius, vel Fabius, vel Diomedes latina fecerunt, appoſitis: pariter ſingula explicãtes, tum finitionibus, tũ exẽplis. Poſtremo omnibus modũ adhibuimus, ne apud æquũ iudicẽ, vel in congerendo Græcorũ quorundã curioſitatẽ æmulari, vel omittẽdo quæ addidiſſe præſtaret, nonnullorũ negligentiã referre merito videri poſſimus. Reſtant tamen aliqua, quæ nec mihi faciunt ſatis, quibus accuratius excutiendis, tẽpus quod huic lucubratiunculæ anguſtum deſtinarã, minime reſpõdebat. Quicquid id eſt quod dedimus, iuuãdi ſtudio dedimus candidiſſime lector, olim vbi & eruditionis & otii plus nacti fuerimus, pleniora ac inſtructiora aſpirante deo prolaturi. Vale, & noſtram operam boni conſule.

De Schemati-

BVS ET TROPIS PE-
tri Moſellani tabulæ.

Σ χῆμα SCHEMA, eſt conformatio quædam vel dictionis, vel orationis, vel ſententiæ, vulgi conſuetudinem excedens.

Cuius partes tres, { FIGVRA, VITIVM, VIRTVS.

FIGVRA.

Figura, vel ſententiæ, vel orationis, vel verborum eſt habitus, præter communem conſuetudinem innouatus.

Et eſt duplex, ſcilicet { διανοίας, λέξεως.

Διανοίας, id eſt ſenſus vel ſentētiarum figura, quæ quanquã(authore Donato)ad oratores proprie pertinet, & nos quæ grammatici ſunt, conquirenda hoc labore tãtum ſtatuimus, tamen eius ſpecies aſcripſiſſemus libenter, ſi non immēſam inſtituti molem futuram hac ratione proſpexiſſemus.

λέξεως Lexeos, Figura eſt, quũ in oratione aliquid quod ad verba attinet, innouatur præter vulgarem conſuetudinem.

Cuius genera ſunt, Figura { DICTIONIS, LOCVTIONIS, CONSTRVCTIONIS.

Figura dictionis, & illius partes.

Figura dictionis in proſa βαρβαρισμός barbariſmus, in carmine μεταπλασμός metaplaſmus dicitur. Tranſformatio quædam eſt vnius dictionis.

Cuius partes à grãmaticis recenſentur. { Protheſis, Epentheſis, Proparalepſis, Aphæreſis, Syncope, Apocope, Ectaſis, Syſtole, Diæreſis, Epiſynalœphe, Synalœphe, Ecthlipſis, Antitheſis, Metatheſis

πρόθεσις Protheſis, Appoſitio ad principiũ ſcilicet dictionis vel literę vel ſyllabæ. Literæ, vt gnatus pro natus dixit Terẽtius. Syllabæ, vt tetuli pro tuli.

Επένθεσις Epentheſis, Interpoſitio, quũ inter primã & vltimã dictionis ſyllabã adiicitur litera, vt Relligio pro religio apud Virg. Syllaba, vt Induperator pro Imperator. Iuue.

προπαράληψις Proparalepſis, quam præaſſumptionē dixeris, eadē παραγωγη, paragoge, etſi Diomedes ſeparat, cū ad finē quippiā accedit, vt dicier pro dici, extulit Perſi9.

Αφαίρεσις Aphęreſis, Ablatio a principio dictionis, cōtraria πρόθεσει Protheſi. Literę, vt, Ruit omnia late, pro eruit, AEneidos ſecundo. Syllabæ, vt Temnere pro cōtemnere, extulit poeta ibidem.

συγκοπή Syncope, Conciſio Figura planè contraria ἐπενθέσει epentheſi, quoties è dictionis medio aliquid excinditur, vt dixti pro dixiſti, Terētius. Repoſtum pro repoſitum, & acceſtis pro Acceſſiſtis, Virgilius.

Αποκοπή Apocope, Abciſio a dictionis fine vel literæ vel ſyllabæ, contraria παραγώγη Paragoge. Literæ, Achilli pro Achillis dixit Maro. Syllabæ, δῶ pro δῶμα, apud Homerum Odyſſeæ α.

ἔκτασις Ectaſis, Extenſio ſyllabæ natura contractæ, vt, exercet Diana choros. Diana prima porrecta dixit, cum genuina ratione fuiſſet contrahenda.

συστολή Syſtole, Contractio naturæ protenſæ, vt, idōlum media breui dixit Prudētius, vir vere prudens, non inſcitia Græcarum literarum, vt literatores clamitant, ſed in re ſacra hac vſus figura.

Διαίρεσις Dięreſis, Diuiſio vnius ſyllabę in duas, vt, Aulai in medio, AEnei. tertio, pro

aulę, quo modo Lucretius in libris de rerum natura genitiuos fermè ſemper in prima forma extulit.

Επισυναλοιφή Epiſynalœphe, Conglutinatio duarum ſyllabarum in vnam, contraria διαιρέσει, vt, Fixerit æripedem ceruam, pro aeripedem. Virgilius Geor. 3.

Συναλοιφή Synalœphe, Deletio, cum videlicet duabus vocalibus concurrẽtibus, prior quaſi deletur, vt, Carthag' Italiam cõtra Tiberinaque longe, pro Carthago Italiam. AEneid. 1.

ἔκθλιψις Ecthlipſis, Eliſio quædã vocaliũ cum conſonantibus aſpere concurrentium, vt, Multũ ille & terris iactatus & alto: Quẽ verſum dum metiris, dicere oportet, Mult' ill' & terris iactatus & alto.

Αντίθεσις Antitheſis, ſiue cõmodiore verbo ἀντίσοιχον antiſtœchon, cum litera pro litera ponitur. Olli ſubridens hominum ſator atque deorum, pro Illi, Maro ſuæ ποιήσεως poeſeos primo.

Μετάθεσις Metatheſis, Tranſpoſitio quædam literarum, vt quod Timbre dixit poeta in decimo pro Timber. In quo μεταπλασμῷ metaplaſmo mirum quàm ſint audaces poetæ Græci.

Adiiciũt quidã ex Diomede παραλλαγὴν προθέσεων, id eſt immutationem præpoſitionum, quę nobis nõ tam μεταπλασμὸς quàm

σολοικισμοῦ ſolœciſmi ſpecies videri ſolet. Verum hoc loco memineris lector, non vbique metaplaſmo locū eſſe, imò nō idem in ioculari & paruo opere licebit, quod priſcis illis in iuſta & ſublimis argumēti poeſi cōdonatū eſt. Quare Horatianū illud ſemper in animo & pectore habeas: Tantum opere in magno fas eſſe obrepere ſomnum. Neque ſtatim imitandum proponas, quicquid vſquam conceſſum inueneris.

Figura locutionis, & eius partes.

FIGVRA LOCVTIONIS, Ratio eſt quędam locutionis compoſitione nouata.

Cuius hæ numerantur ſpecies.

Prolepſis,	Zeugma,
Hypozeuxis,	Syllepſis,
Anadiploſis,	Anaphora,
Epanalepſis,	Epizeuxis,
Paronomaſia,	Scheſis onomaton.
Parœmion,	Homœoteleuton,
Homœoptoton,	Polyptotón,
Irmus,	Endiadis,
Hypallage,	Proſopopœia,
Anthypophora,	Apoſiopeſis,
Climax,	Polyſyndeton,
Aſyndeton,	Antimetabole.

Πρόληψις Prolepſis, id eſt, Præſumptio rerū ſummaria, quæ deinceps particulatius enarrantur: vt, Interea reges, ingenti mole Latinus Quadriiugo inuehitur curru, bigis it

Turnus in albis. Virgilius.

Ζεῦγμα Zeugma, cum diuerſæ clauſulę vni veibo tribuuntur.

Et eſt triplex. { προζευγμα, μεσόζευγμα, ὑπόζευγμα.

Προζευγμα Prozeugma, Prȩiunctio, quoties verbum clauſulis præponitur, vt Cicero, Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia

μεσόζευγμα Meſozeugma, cum in clauſularum medio verbum collocatur. Cuius ſpecio ſum exemplum extat apud Maronē, AEneidos 3, Troiugena interpres diuûm, qui numina Phœbi, Qui tripodas Clarii lauros, qui ſydera ſentis. Et volucrum linguas & præpetis omnia pennæ. Hic, ſentis, & præcedentes & ſequentes nectit clauſulas.

ὑπόζευγμα Hypozeugma, Subiūctio cū verbum ſubiungitur in fine. Cicero in Catilinā: Nihilne te nocturnum præſidium palatii, nihil vrbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil cō curſus bonorum omnium, nihil hic munitiſſimus habendi ſenatus locus, nihil horum ora vultúſque mouerunt.

ὑπόζευξις Hypozeuxis, figura ſuperiori cō traria, cum diuerſæ clauſulæ ſingulis verbis redduntur, vt Regem addit, & regi memorat noménque genúſque. AEneidos octauo.

σύλληψις Syllepſis, Cōglutinata cōceptio,

quoties diuerſi numeri clauſulæ vno claudũtur verbo. Virgilius in primo, Hic illius arma, hic currus fuit.

Ἀναδίπλωσις Anadiploſis, Reduplicatio, cum vltima prioris verſus dictio in ſequẽtis principio iteratur. Maro in 10, Sequitur pulcherrimus Aſtur, Aſtur equo fidens.

Ἀναφορὰ Anaphora, Relatio eiuſdẽ videlicet verbi per principia plurimorum verſuũ. Horatius Odarum ſecundo, Otium diues rogat in patenti, Otium bello furioſa Thrace. Otium Medi pharetra decori.

Ἐπανάληψις Epanalepſis, authore Donato (nã Diomedes reclamat) cũ eadem dictio verſum & incipit, & claudit, vt Multa ſuper Priamo rogitãs ſuper Hectore multa. Æneid. 1.

Ἐπίζευξις Epizeuxis, Subiunctio eiuſdem ſcilicet verbi ſine aliqua interſtitione, maioris vehementiæ gratia. Qua ratione fermè & ſuperiores fiunt replicationes. Virgilius in nono, Me, me, adſum qui feci.

Παρονομασία Agnominatio latine dicitur, cum iucunda quædam vocum fit colluſio, ſignificatu tamen diuerſo. Terentius in Andria, Nam inceptio eſt amẽtium, haud amantium.

Σχέσις τῶν ὀνομάτων Scheſis onomatõ, id eſt, Nominum habitus quidã, quoties verborum multitudo eodem copulandi habitu coacerũatur, vt hoc apud Poetã: Marſa manu,

Peligna cohors, feſtina virûm vis.

Παροίμιον, Parœmiō, Aſſimile, quoties multa verba ab eodem incipientia elemento, ex ordine collocātur, vt, O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tuliſti. Ennius, citante Priſciano libro duodecimo.

ὁμοιοτέλευτον Homœoteleuton, Cum ſimiliter vel dictiones, vel ſententiæ finiuntur. Enni⁹, vt citat Diomedes, Eos deduci, euehi, quam deferi malui. Qua figura apud Græcos inſignis eſt Iſocrates.

ὁμοιόπτωτον Homœoptoton, Cum eodem caſuum tenore clauſula terminatur, vt eſt apud Saluſtium: Maximis ducibus, fortibus, ſtrenuiſque miniſtris.

Πολύπτωτον Polyptoton, multitudo caſuum varietate diſtincta, vt AEneidos quarto, Littora littoribus contraria, fluctib⁹ vndas Imprecor, arma armis, ipſiſque nepotes.

Εἱρμος Irmus, Series eſt orationis, eodem ſilo ad clauſulam vſque protēſa: vt, Principio cęlum ac terras, campóſque liquentes, Lucentémque globum lunæ, Titaniaque aſtra, Spiritus intus alit. AEneidos ſeptimo.

ἐνδίαδις Endiadis, Figura, cū fixum in mobile ſoluitur, vt, Per famam ac populū, pro, per famoſum populum, dixit Poeta.

Ὑπαλλαγή Hypallage, Eſt quoties oratio cō uerſo rerum ordine effertur, vt, Dare claſſibus auſtros, pro dare claſſes auſtris. Virgili⁹.

Προσωποποῖια Proſopopœia, Perſonarum fictio, nimirum cum rebus mutis ſermo tribuitur. In qua quanquam poetæ multum ſibi permittunt, tamen & oratores vſurpant, vt Cicero in Catilinam patrię ſermonem accommodat.

Ανθυποφορὰ Anthypophora, Cũ tacitæ occurrimus quæſtioni, quam figuram & poetæ & oratores in vſu habent, quorum exempla referre nimis hic longum eſſet.

Αποσιώπησις Apoſiopeſis, Quam Cicero reticentiam appellat: cum per iram vel indignationem, orationis partẽ reticemus: Quos ego, ſed motos præſtat componere fluctus. tacet enim puniam.

Κλίμαξ Climax, interprete Tullio, gradatio, quoties ab eo verbo quo ſenſus ſuperior claudebatur, inferior incipit: ac deinceps hoc modo quaſi per gradus aſcendit. Cuius aptiſſimum exemplum extat apud Homerũ Iliados β. de ſceptro ab Ioue in Agmemnonẽ vſque deducto. Sed & Virgilius in bucolicis. Torua leæna lupum ſequitur, lupus ipſe capellam. & alia.

Πολυσύνδετον Polyſyndetũ, Structura multis nexa coniunctionibus, vt, Athamáſque, Thoaſque, Pelidéſque Neoptolemus, primúſque Machaon. AEneidos ſecundo.

Ασύνδετον Aſyndeton, Superiori contraria, cum ſtructura vinculis caret. Abiit, exceſ

ſit, euaſit, erupit. Tullius in Catilinam. Ferte citi flammas, date tela, impellite remos: AEneidos quarto.

Ἀντιμεταβολή Antimetabole, apud quoſdam inter figuras refertur, quam latine contramutationem vertere poſſes, vt, Non viuo vt edam, ſed edo vt viuam, inquit Cato. Reliquæ figuræ, quas Fabi9 ex multis Græcis curioſe ſatis conuertit, impræſentiarum aſcribere non eſt animus: Partim quòd Grammaticū artificiū excidāt, partim quòd inſigniores congerere tantum noſtrum eſt inſtitutū.

FIGVRA CONSTRVCTIONIS EIVSQ. PARTES.

FIGVRA conſtructionis, quæ in ſyntaxi vulgarem rationem excedit.

Cuius ſpecies ſunt, { Prolepſis, Zeugma, Syllepſis, Euocatio, Appoſitio.

πρόληψις Prolepſis, Præſumptio totius, cuius partes ad vnam proprietatem poſtea referuntur, vt, Milites pugnāt, vnus in hoſtem, alter in patriam.

Ζεῦγμα Zeugma, quoties vna proprietas diuerſis ſubiectis tribuitur, vni prius, alteri poſterius, ita tamen vt viciniori reſpōdeat, vt, ego & tu ſcribis.

Σύλληψις Syllepſis, Conceptio, cũ dignius attrahit minus dignum, quę ambo tamen ad vnam proprietatem referentur, vt digniori reſpondeat, vt ego & tu ſcribimus.

Euocatio, Quoties prima vel ſecunda perſona tertiam quaſi euocat, vt, ego Virgilius cano, quanquã hoc loco mea ſententia Virgilius, nõ tam tertiæ quàm primæ perſonæ eſt.

Appoſitio eſt, cum duo fixa vel plura, ſine copula nectuntur, vt, Ignauum fucos pecus à præſepibus arcent. Virgilius in primo AEneidos, Formoſum paſtor Corydon ardebat Alexim Delicias domini, in Bucolicis.

Nõnulli recentiores literatores συνεκδοχὴν ſynecdochen addunt, quæ tum fit, cum ἑλληνίζοντες AEthiops albus dentes, dicimus. & vt Virgilius, Nuda genu, quod ἀττικισμῷ fieri certum eſt.

VITIVM.

Schematis pars ſecunda.

VITIVM in oratione quaſi error quidam, qui & ſi poetis condonatur, in proſa tamen intollerabilis eſt.

Species ſunt, { Obſcurum, Inordinatum, Barbarum. }

Obſcurum, eiuſque partes.

Obſcurum, cum vel verborum vel ſtructuræ vitio obſcuritas quædam inducitur.

Cui⁹ partes habētur,
- Acyron,
- Pleonaſmos,
- Periſſologia,
- Tautologia,
- Homœologia,
- Amphibologia,
- Eclipſis,
- Periergia.

ἄκυρον Acyron, Improprietas, cum dictio minime propriæ ſignificationis orationi ceu nubes inducitur. Terentius, Nā quod tu ſperas, propulſabo facile. Speras pro times. quo modo & Græci ſuum ἐλπίζειν vſurpant.

Πλεονασμὸς Pleonaſmos, Fit quoties (inquit Fabius) ſuperuacuis verbis oneratur oratio, vt vidi meis oculis. Satis eſt enim, vidi. Sic ore locuta eſt, AEneidos primo.

Περισσολογία Periſſologia, Fit cum ſententia aliqua ſine pondere rerum adiicitur, vt Liuius in octauo ab vrbe condita: Legati non impetrata pace, retro domum vnde venerāt reuerſi ſunt.

Ταυτολογία Tautologia, Eiuſdē verbi aut ſermonis iteratio. cui vitio etiam Ciceronem obnoxium notat Fabius, quod dixit, Non ſolum igitur illud iudicium iudicii ſimile iudices non fuit. quamuis caſu diuerſo.

ὁμοιολογία Homœologia, Peius vitium ſuperiori, cum oratio vndique ſui ſimilis nulla varietatis gratia leuat tædium, ſed eſt tota

coloris vnius. Cuius exemplũ, ne nimis longum ſit, impræſentiarum non aſcribemus.

ἀμφιβολογία Amphibologia, Quãdo ſtructuræ vitio, vtrò verbum ſit referendum dubitatur, quemadmodum Pyrrho oraculũ reſpondit, Aio te AEacida Romanos vincere poſſe. Hic vtri victoria promittatur, incertũ.

ἔκλειψις Eclipſis, Defectus, quẽ(ni fallor) Fabius μείωσιν vocat, cũ ſermoni aliquid deeſt quo minus plenus ſit, vt, Italiã fato profugus, id eſt, ad. Egóne illam? quæ me? quæ non? In Eunucho.

περιεργία Periergia, Superuacua, &(vt ita dixerim)operoſitas nimia in loquẽdo. Quod vitium aut idem, aut certe admodum affine ei quod μακρολογίαν nominat cum Fabius, tum Diomedes, cum ſermo, cultus gratia, lõgior ſit quàm oportet. Virgilius,

Poſtera vix ſũmos ſpargebat lumine montes
Orta dies, cũ primũ alto ſe gurgite tollunt
Solis equi, lucemque elatis naribus efflant.

Hæc vitia quanquam fermè omnia à Diomede ſub obſcuro ceu genere comprehẽduntur, non tamen ignoro multis aliter videri poſſe. Vt vt ſit, nobis in paruo diſcrimine ponetur.

Inordinatum, eiúſque ſpecies.

INORDINATVM, cum vel ordo, vel dignitas verbis deeſt.

Cuius ſpecies potiores cenſentur, — Tapinoſis, Cacemphaton, Cacozelon, Aſchematiſton, Cacoſyntheton, Soraiſmos.

Ταπάνωσις Tapinoſis, Vitium quo rei dignitas verbi humilitate deprimitur, vt quod Cato(authore Gellio)verrucam montis, pro cacumine dixit.

κακέμφατον Cacemphaton, ſiue αἰσχρολογίαν æſchrologian vocitare velis, Vel cum corrupta conſuetudine in obſcœnum intellectum detorquetur ſermo , vt AEneidos ſexto: At ramum hunc aperit, ramũ qui veſte latebat. Terent. Arrige aures Pamphile, cum arrectio genitali membro propria ſit. Vel cũ iunctura deformiter ſonat, vt, Numerum cũ nauibus æquat . Quod poſterius obſeruare, auris eſt plane delicatæ.

Κακόζηλον Cacozelon, Mala affectatio, cũ ingenium ſcilicet iudicio caret, & ſpecie boni fallitur, infœliciterque æmulatur vitium, vt omnium peſſimũ, ita hodie omnibus fermè commune.

Ασχηματισον Aſchematiſton, id eſt male figuratum, cũ oratio prorſus ſimplex, ſuis figuris quibus velut ſtellulis reluceret, caret.

Κακοσύνθετον Cacoſyntheton, male collocatum, vbi quippiã non ſuum habuerit locũ

in quo quadret: vt, Verſáque iuuencûm Terga fatigamus haſta. Æneidos nono.

Σοραϊσμός Soraiſmos, Miſcella quædam & aceruatio ex variis idiomatis apud Græcos, apud nos ex verbis barbaris & latinis, propriis & impropriis, obſoletis & nouis. Ac vt ſis ſciens, in his vitiis planè nihil tibi condonarim. Nam quamuis Virgilius ſemel atque iterum in ipſis audax fuerit, tibi tamen non itidem hæc imitari fuerit conſultum.

Barbarum, eiuſque ſpecies.

BARBARVM, vitium quod ad quandam velut barbariem tendit.

Partes ſunt hæ, { Barbariſmus, Barbaralexis, Solœciſmus.

Βαρβαρισμός Barbariſmus, Contra Romani ſermonis legē aut ſcripta, aut pronuntiata vitioſa dictio. Fit autem additione, detractione, immutatione, tranſpoſitione : & id quidem aut literæ, aut ſyllabæ, temporis, toni, aſpirationis. Quorum exempla partim vbi figuræ dici meruerunt, exhibuimus: partim barbarorū tum locutio, tum ſcriptio (ne dubita) ſuppeditabit. In Græcis poetis vbiq; ſunt obuia. His enim nihil negatū ridet Martialis: adeò, vt apud illos is fermè optimus habeatur poeta, qui in eiuſmodi quammaximè audax fuerit. Ad hæc indecoras literarū quarundam pronūtiationes barbariſmi no-

ta inurunt: ἰωτακισμοὺς ſcilicet, λαβδακισμοὺς, μυτακισμοὺς, πλατειασμοὺς. Sic enim Græci fingendis nominibus (ait Fabius) fœliciores, vocant, vt & χειλοσομίαν, cum vox quaſi in oris receſſu auditur.

βαρβαραλέξις, Id eſt Barbara dictio, quoties Romano ſermoni peregrinæ linguæ dictio inſeritur, vt gaza apud Maronem, quod eſt Perſicum: & maſtruca apud Ciceronem, Sardum vocabulum.

Σολοικισμός Solœciſmus, Eſt (inquit Aſinius Capito apud Gellium) impar & inconueniens compoſitura partium orationis, quæ per omnia partium orationis accidentia notatur, cum alia orationis pars pro alia ponitur, cum genus pro genere, caſus pro caſu, tēpus pro tempore, modus pro modo, numerus pro numero, aduerbium pro aduerbio, præpoſitio pro præpoſitione. Horum omnia exempla, nō vt imitareris, ſed vt notata minori negotio deuitares, oppido quàm libens aſcripſiſſem, ſi per chartæ anguſtiā licuiſſet. Quare vel ipſe obſerues, vel ex Donato petas licebit.

VIRTVS.

Schematis pars tertia.

VIRTVS, qua oratio honeſtatur, attolliturque ſupra vulgi ſermonem.

Cuius genera duo, { Proprietas, Ornatus.

Proprietas,& eius partes.

PROPRIETAS,quæ vel ſcripto,vel pronũtiatione,vel verbis nil impropriũ habet.

Eius partes ſunt, { Analogia, Taſis, Syntomia.

Ἀναλογία Analogia,Eſt proportio quædã, finitore Diomede (nam nobis non perinde probatur)qua recte ſcribendi ratio conſeruatur. Hanc cũ proprietatis partẽ fecerit Diomedes,quid tamen ſibi voluerit non video.

Τάσις Taſis,qua verborum dulcis ac iucũda ſeruatur modulatio,quòd alia acuto tenore,alia graui,alia flexo moderamur. Quę virtus ad vocis flexibilitatẽ pręcipue pertinet.

Συντομία Syntomia,Cum breui & compẽdioſo verborum ambitu,res quantumuis ingens pro dignitate redditur. Virgil. AEneid. I. Naſcetur pulchra Troianus origine Cæſar,Imperium oceano &c. Eſt & orationis velut lux quædam, quæ verba ipſa rei proprie adeo accommodat, vt nõ tam narrari quam geri videatur . Hanc virtutem Græci qui lucem quam rebus addit,ſpectant, ἐνάργειαν: qui vero mouendi efficaciam, ab opere ἐνέργειαν appellare conſueuerunt.

Ornatus,& eius ſpecies.

ORNATVS orationis ſuo ſe nomine prodit,vt finitione minime ſit opus.

Generatio eius hæc, { Syntheſis, Cyriologia, Tropus.

Σύνθεσις Syntheſis, Apta & concinna modulis ſuis ſtructura, qua alius pes alio iucundiorem clauſulam efficere dignoſcitur. Qua de re Cicero libro de oratore tertio, & Fabius in nono abunde ſatis diſſeruere.

Κυριολογία Cyriologia, Propria & ſana oratio, quā ipſa veritas & ſimplicitas exornant, vt, Romanos rerū dominos, gētemque togatam. Hanc virtutem Quintilianus non vno tantum loco laudibus vehit.

Τρόπος Tropus, Quē clariſſimi latinorū motum appellarunt, eſt verbi vel ſermonis à propria ſignificatione in aliam cum virtute mutatio.

Cuius priores partes colliguntur hæ, { Metaphora, Catachreſis, Metalepſis, Metonymia, Antonomaſia, Epitheton, Synecdoche, Onomatopœia, Allegoria, Periphraſis, Hyperbaton, Hyperbole, Emphaſis, Homœoſis.

Μεταφορά Metaphora, id eſt tranſlatio, tropus longe pulcherrimus, quando vel nomē vel verbum, ex eo loco in quo proprium eſt, in eum in quo aut proprium deeſt, aut tranſlatum proprio melius eſt, tranſfertur: Vt video, à corporeo ſenſu cui proprium eſt, ad animi intelligentiam tranſfertur.

Hæc multis fit modis:

Deflexione, cum vox e propinquo ad rem proximam detorquetur: vt video pro intelligo, concoquere pro ferre, deuorare pro vincere ac perferre. Siquidem in iis id quod eſt corporis, ad animum tranſfertur, quo genere nihil eſt vſitatius.

Ab irrationali ad rationale, vt Terentius, Quid ille gannit? quod vulpium propriū eſt.

Aut contra, vt ſi poetam cygnum, muſicū luſciniam dicamus, ceu facit Virg. Georg. 4. dum de apum rep. dicit: Magnanimóſque duces, totiúſque ordine gentis. Mores & ſtudia, & populos, & prælia dicam.

Ab inanimali ad animal, vt Virgil. AEneidos 11. Si tantum pectore robur Concipis. Hic à ligno ad hominem tranſlationē fecit,

Aut contra, At procul excelſo miratus vertice montis. Hic hominis verticē ad montem traduxit.

Ab animali ad animal, vt Paſcentes apes.

Ab inanimato ad inanimatum, vt ſi quis ſyluam ſcatere dicat, quod eſt fontium.

Ad hæc, quædam tranſlationes ſunt reciprocæ ſiue cõmunes, quas Græci ἀκόλουθας vocant. Nam vt pro gubernatore recte dixeris aurigam, ita & pro auriga gubernatorē. Quædā vnius duntaxat partis, quas illi ἀνακολούθας appellant. Siquidē vt recte pro mõtis cacumine verticem dixeris: ita non recte pro vertice cacumen ad hominē traduxeris.

Atque hoc loco admonitū te velim lector amice, tranſlationem vnam eſſe, quæ in loco adhibita, ingens decus addat orationi. Quare conſultum fuerit, inſignium metaphorarū vim ex optimis authoribus annotatā cõparare. Sunt autē (inquit Roter.) apud M. Tullium optimæ, apud Quintilianum plurimæ. Sed & nos (ſi deus aſpirarit) in volumē iuſtum diligenter congeremus ex vtriuſque linguæ authoribus inſignes trãſlationes, modo alius quiſpiam non anteuertat.

Κατάχρησις Catachreſis, Verborū abuſio, quæ non habentibus nomen ſuum, accõmodat quod in proximo eſt: vt ſi parricidā appelles, nõ qui patrem occiderit, ſed alias hominem quemuis.

Μετάληψις Metalepſis, Tranſumptio. Ea eſt (inquit Roter.) vbi gradatim itur ad id quod oſtenditur. Virgil. in primo, Speluncis abdidit atris. Nigræ enim intelliguntur, ex nigris tenebroſæ, ac per hoc in præceps profundæ. Verum huius tropi vſus magis incidet in carmine, quàm in oratione ſoluta.

Μετονυμία Metonymia id eſt trāſnominatio, cū inuentorem pro re inuēta ponimus, vt, Sine Cerere & Baccho friget Venus, dixit Comicus. Quod ſi vertas, erit durius, vt vinū precemur pro Baccho. Vel cum cōtinens pro eo quod continetur vſurpamus: Nūc pateras libate Ioui. Vel è cōuerſo, Vina coronāt, pro poculis dixit Maro. Vel cū dominus rei pro re ipſa ponitur, vt, De ſene guſtarit, pro de pecunia ſenis. Vel cum ex effectu efficiēs accipimus, vt, Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas, Regúmque turres. Vel cum ducem pro his qui ſubſunt, vt cæſus Annibal. Vel cum authorem pro opere: vt, Terentius ſemper in manibus habendus.

Ἀντονομασία Antonomaſia, Ea eſt nominis permutatio, vt ſi quis pro Achille Pelidē dicat, pro Iunone Saturniam, quemadmodum Virgilius & Horatius.

Ἐπίθετον Epitheton, id eſt Appoſitū, quoties propriū nomen adiecto aliquo quaſi veſtitur, vt, At pius AEneas, ſæuus Hector. formoſus Alexis, apud Poetam.

συνεκδοχὴ Synecdoche, Quā Cicero intellectionem vocat, quoties ex vno plura intelligimus, vt Romanus prælio victor, pro Romani. Ex parte totum, vt, mucronē pro gladio: retróque, vt, Ingens à vertice pontus. Ex ſpecie, genus, Iracundior Adria, pro quouis mari dixit Horatius. Ex materia, rem confe-

ctam, vt ferrum pro gladio. Ex præcedentibus, ſequentia: vt, Virgineam ſoluit zonam, id eſt deuirginauit. Breuiter cum aliud ex alio intelligitur, vt vixerũt, pro mortui ſunt, exclamauit orator.

Ονοματοποιΐα Onomatopœia, Nominis cõfictio ſoni imitatione, Clangórque tubarum. Virg. Tinnire, balare, mugire, & reliqua quæ ſignificandi gratia pro tempore fingimus.

Αλληγορία Allegoria, Quã inuerſionẽ interpretantur, cũ aliud verbis, aliud ſenſu oſtenditur, ac nonnunquam contrarium.

Species nominãtur hæ,
- AEnigma,
- Parœmia,
- Ironia,
- Sarcaſmus,
- Aſtyſmus,
- Myċteriſmus,
- Antyphraſis,
- Charientiſmus.

ἄινιγμα AEnigma, Obſcura quędam allegoria, magis vitiũ Quintiliano quàm virtus, cũ dilucide dicere virtutis nomine commendetur. Hinc opinor motus Diomedes, & vitiis & virtutibus connumerat. Cuius exemplum aptiſſimum extulit Heſiodus Georg. I. πλέον ἥμισυ παντὸς. Quod Plato lib. de legib⁹ tertio exponit multis verbis. Quæ omnia huc tẽdunt, Satius eſſe ἀδικεῖσθαι quàm ἀδικεῖν, Hoc eſt iniuriam pati quàm inferre.

Παροιμία Parœmia, id eſt adagiũ (definitore magno illo Eraſmo) dictum celebre aliqua nouitate inſigne, vt, Lupus eſt in fabula: Terẽtius. cum ſilendum moneat. An autem hęc finitio huic loco quadret, qui velit, ex Eraſmi Chiliadibus inquirat. Diomedes certe & Donatus allegoriæ ſpeciem faciunt.

Ειρωνεία Ironia, Illuſio quæ non ex verbis, ſed vel pronuntiatione vel perſona vel rei natura intelligitur, vt, Heus tu bone vir curaſti probe. Terentius in Andria.

Σαρκασμός Sarcaſmos, Iocus amarulentus, atque hoſtilis deriſio. vt, En agros, & quam bello Troiane petiſti, Heſperiã metire iacẽs. Æneidos duodecimo.

Ασυσμὸς Aſtyſmus, vrbanitas, orationis quaſi feſtiuitas. vt, Qui Bauium non odit, amet tua carmina Meui, Atque idem iungat vulpes, & mulgeat hircos. Virgilius.

Μυκτηρισμός Myčteriſmus, Simulat⁹ riſus, ſed tamen non latens: quod Perſius naſo ſuſpendere vocat. μυκτὴρ enim Græcis (authore Iulio Polluce) naſum ſignificat.

Αντίφρασις Antiphraſis, Vnius verbi ironia, vt bellum dicitur, quod minime bonũ, & Hieronymus monachum quendam Vigilantium κατ᾽ ἀντίφρασιν vocitat.

Χαριεντισμός Charientiſmus, Quo duriora re ipſa gratioſis verbis molliũtur. Terẽ. Bona verba quæſo: cũ piſtrinũ deprecaretur Da

uus. quod Plato de rep. primo ἐυφημεῖν dicit.

Et hæ iam dictæ ſunt allegoriæ ſpecies.

Περίφρασις Periphraſis. Latine (tametſi inuito Fabio) circũlocutio, eſt fuſior & copioſior rei deſcriptio, aut ornandæ rei gratia, quę pulchra eſt, vt, Tẽpus erat, quo prima quies mortalibus ægris Incipit, & nodo diuûm gratiſſima ſerpit. AEneid. 2. Aut tegẽdæ rei gratia quæ turpis : Placidúmque petiuit Coniugis effuſus gremio per membra ſoporem.

ὑπέρβατον Hyperbaton, Tranſgreſſio quædam verborum, ordinem communem perturbans.

Cuius ſpecies, { Anaſtrophe, Dialyſis, Diacope, Synchyſis, Hyſteron proteron.

Ἀναστροφὴ Anaſtrophe, Reuerſionem dixeris, eſt verborũ tantum ordo præpoſterus, vt mecum, ſecũ: pro cũ me, & cum te. Italiam contra, pro contra Italiã, apud Virgil. in 1.

Διάλυσις Dialyſis, ſiue παρένθεσις Parẽtheſis, Ordinis diſſolutio per interpoſitam ſententiam, vt, AEneas (neque enim patrius cõſiſtere mentem Paſſus amor) rapidum ad naues præmittit Achatem.

Διακοπὴ Diacope, ſiue τμῆσις Tmeſis, Diſſectio, cum ſcilicet dictionis cõpoſitæ iunctura ſoluitur aliquo interpoſito, vt Septẽ ſubiecta trioni : cũ ſeptentrioni dicendũ fuiſſet.

σύγχυσις Synchyſis, Confuſio. Eſt enim quoties ordo omni ex parte turbatur. Treis notus abrepta in ſaxa latentia torquet: Saxa vocãt Itali mediis quæ in fluctibus aras. Habet autẽ ordo hoc modo authore Donato, Treis naues abreptas notus torquet in ſaxa, quæ Itali vocant aras.

ὕστερον πρότερον Hyſteron proteron, ſiue ὑστερολογία Hyſterologia, cũ id quod ſecundo loco fit, priorem in orationis ordine poſſidet. Et torrere parant flammis, & frangere ſaxo. AEneidos primo.

ὑπερβολὴ Hyperbole, authore Fabio, Demẽtiens eſt ſuperiectio, vt quæ fidem nõ mereatur, vel augendi gratia, vt Ocyor Euro vita noſtra, apud Horatium dicitur: Vel minuendi gratia, vt teſtudine tardior. In quo tropo monet Quintilianus modum in primis ſeruare oportere, ne in κακοζηλίαν vitium ſupra notatum nos inducat.

ἔμφασις Emphaſis ſiue cũ latẽs aliquid vna ſignificatur, ſiue expreſſior denotatio. Hæc cũ multis fiat modis, hunc habet præcipuũ, quoties fixum pro mobili ponitur, vt ſcelus pro ſceleſto.

ὁμοίωσις Homœoſis, Ignotæ rei per ei⁹ quæ magis nota eſt, ſimilitudinem expreſſio.

Cuius genera recẽſentur, { Icon, Parabole, Paradigma.

εἰκὼν Icon, Imago, cum quippiam ad ima-

ginem alterius rei quaſi deſcribimus, vt Os humeróſq; deo ſimilis. Huc enim ad dei imaginem, AEneam comparauit Poeta.

παραβολὴ Parabole, Quã Cicero collationem interpretatur. Ea eſt (inquit Donatus) rerum genere diſſimilium comparatio. Plato in Euthiphone, Iuuenum in primis rationem habere conuenit (nam ſic tranſponimus) vt in optimos viros adoleſcant, haud aliter, ac prudentem agricolam teneriuſculis plantis primã curam adhibere decet, deinceps vero & alias non negligere.

παράδειγμα Paradigma, cũ ex hiſtoria res aliqua narratur, qua velut exemplo accendimur & ipſi eiuſmodi vel facere vel vitare. Cuius vſus tam eſt frequẽs cũ apud poetas, tum apud oratores, vt minime opus videatur exẽpla in medium afferre.

Quidam præter tropos etiam ad orationis virtutes φράσιν pertinere putant, quam χρονογραφίαν, τοπογραφίαν, τοποθεσίαν, αἰτιολογίαν, ἐπανόδω, κατάλογω, συλλογισμῷ, ἀποστροφὴ, atque id genus aliis conſtare putant, quæ nos finitionib⁹ minime explicabimus, partim, quòd propi⁹ ad orationis copiã attinere videãtur: partim, quòd ipſa etymologia & prima (quod aiunt) fronte quid rerũ ſint, præ ſe ferant: partim etiam, quòd noſtri inſtituti anguſtia non ſinit Chryſippæum hũc aceruum explere.

GEORGIVS MAIOR CANDIDO LECTORI S.

C Ontraximus hic in figurã quandã Philippi Melanchthonis rhetoricas inſtitutiones, non infrugiferã ſtudioſis adoleſcentib⁹ fore arbitrantes: Partim quòd omnia arcta & ſuccincta facilius tũ intelligantur, tum altius ac tenacius memoriæ infigi & inſculpi ſoleãt, quam quæ ſparſa & tanquam in campo diffuſa ſunt: partim, vt aliquid ſcripturi, hac tabella ob oculos poſita, ſtatim rhetorici artificii admonerentur. Adiunximus & figurarum ordines, quibus oratio tãquam floſculis & ſtellis exornari ſolet. Neque vero temerè citra authoris conſilium hanc emiſimus. Iam ſi quis vel exempla deſyderat, vel figurarũ definitiones, is ex authore ipſo requirat. Malim tamen exempla ex fontibus, videlicet Ciceronis & aliorum eruditorum orationibus peti. Quare optime lector operam noſtrã boni cõſule. Vale.

AD LECTOREM.

Authorem laudare vetat reuerentia, laudet
Qui debet, vel qui ſe bene poſſe putat.
Hoc mirantur op⁹ docti, quod parua tabella
Ante oculos ponit, qui legis iſta tuos.
Nec quicquã qui cõpoſuit mutauit ab illis,
Quæ tibi ſperauit hoc fore plana modo.
Aut igitur fallor, vel erit tibi grata profecto
Ampla in tam tenui bibliotheca libro.

In Philippi Melanchthonis Rhetorica Tabulae.

Tria ſunt omnino cauſarum genera. Demonſtratiuum, Deliberatiuum, Iudiciale.

DEMONSTRATIVVM.

Demonſtratiuum, cum laudamus aut vituperamus.

Et eſt triplex, ſcilicet
- Perſonarum,
- Factorum,
- Rerum.

Demonſtratiuum perſonarum.

Demonſtratiuũ perſonarũ habet orationis partes quatuor, videlicet
- Exordium,
- Narrationem,
- Contentionem,
- Perorationem.

Exordium conſtat locis
- Beneuolentiæ,
- Attentionis,
- Docilitatis.

Beneuolentiæ petitur à
- Rebus,
- &
- Perſonis.

Sunt verò plurimi beneuolentiæ captan-

dæ loci, qui hic recenſeri nequeunt. Vtimur nonnunquam inſinuatione etiam, cum turpitudinem quæ in cauſa videtur eſſe, excuſamus.

Attentio, cum affirmas te dicturum eſſe de { Nouis / Neceſſariis / Vtilibus / Difficilib9 / Obſcuris } rebus.

Docilitas, cũ affirmas te { Breuiter / Dilucide } dicturũ.

Natales,

Narrationis loci ſunt { Pueritia, vbi de ingenio dicitur & educatione. / Adoleſcentia, vbi ſtudia conſiderantur. / Iuuẽtus, vbi res publicè aut priuatim geſtę cõſiderãtur / Senectus, / Mors, quæ illã ſecuta ſunt. }

Contentione ferè hoc genus caret, quia non agitur de dubiis rebus.

Peroratio conſtat { Enumeratione argumentorum, / Affectu. }

Demonſtratiuum factorum.

Demonſtratiuũ factorũ habet partes quinque.
- Exordium,
- Narrationem,
- Confirmationẽ,
- Confutationem,
- Perorationem.

Exordium ab iiſdem locis petitur, à quibus ſuperius. Narratione in hoc genere raro vtimur, frequentius propoſitionibus.

Confirmationis loci,
- Honeſtum
- Vtile
- Facile
- Difficile
- Poſſibile
- Impoſſibile.

Circunſtantię,
- Quis
- Quid
- Vbi
- Quibus auxiliis
- Cur
- Quomodo
- Quando.

Confutatio fere non incidit in laudes. Huius autẽ loci ſunt contrarii confirmationi.

Peroratio conſtat
- Repetitione argumentorum,
- Affectu
  - Gratulationis ĩ lętis,
  - Imitationis in lætis,
  - Commiſerationis in triſtibus.

Demonſtratiuum rerum.

Demonſtratiui rerum ſunt partes quinque,

Quæ ſunt
- Exordium,
- Propoſitio, Nã in hoc genere narratio nulla eſt: ſed vice narrationis propoſitio ponitur,
- Cõfirmatio, eius loci
  - Honeſtum
  - Vtile,
  - Facile,
  - Difficile.
- Confutatio, quæ locis contrariis conſtat.
- Peroratio, quæ conſtat iiſdem locis quibus ſuprà.

DELIBERATIVVM.

Deliberatiuum, cũ ſuademus aut diſſuademus, petimus, hortamur aut dehortamur.

Huius partes
- Exordium,
- Narratio, quæ rara eſt. Eius vice propoſitio ponitur. Nõnunquã incidũt breues narrationes, ſed ſtatim ſequitur propoſitio.
- Confirmatio, cuius loci
  - Honeſtũ,
  - Vtile,
  - Facile,
  - Difficile.
  - Exẽpla plurimũ valẽt in hoc genere.
- Confutatio, quæ à locis contrariis petitur.
- Peroratio, vt ſuprà, Enumeratione & affectu conſtat.

IVDICIALE.

Iudiciale, quo controuerſiæ ac lites continentur.

Huius triplex eſt ſtatus.

Qui ſunt
- Coniecturalis, An ſit.
- Iuridicialis, Iure an iniuria.
- Legitimus, Quid ſit.

De coniecturali ſtatu, An ſit.

Status CONIECTVRALIS conſtat quinque partibus.

Quæ ſunt
- Exordium,
- Narratio, quę eſt hiſtorica facti commemoratio, cum ſequitur ſtatim propoſitio.
- Confirmatio,
- Comprobatio,
- Peroratio.

Confirmationis autē huius, loci duo ſunt, ſcilicet
- Voluntas,
- Poteſtas.

Voluntatis loci
- Qualitas perſonæ,
- Cauſa inducens ad ſuſcipiē dum facinus.

Cuius loci
- Impulſio, quæ eſt affectus, ira, odium, auaritia &c.
- Ratiocinatio, quæ à ſpe commodorum ducitur.

Poteſtas conſtat circunſtantiis,
- Loco
- Tempore
- Viribus. Iidem ſunt loci defenſoris.
- Signis
- Antecedentibus
- Conſequentibus.

Defenſor tamen addet
- Abſolutionem, cũ docemus id ſignum quod factũ eſt, miſericordia & humanitate factum eſſe.
- Inuerſionem, qua docemus ſignũ quod cõtra nos producitur, pro nobis facere.

De iuridiciali, Iure an iniuria.

Iuridicialis partibus conſtat quatuor, ſcilicet
- Exordio
- Narratione
- Cõfirmatione, cuius proprii ſunt loci.
- Peroratione.

Eſt autem duplex ſtatus negotialis,
- Abſolutus
- Aſſumptiuus.

Abſolutꝰ, cũ ſimpliciter aliquid defenditur.

Cuius loci ſunt
- Natura
- Lex
- Conſuetudo
- AEquum
- Bonum
- Iudicatum
- Pactum.

Aſſumptiuus, cũ aſſumpta re extranea, defenſio tractatur.

Eius loci ſunt { Conceſſio / Tranſlatio / Remotio } criminis.

Conceſſionis partes { Purgatio cum fatemur nos peccaſſe, ſed per imprudẽtiam aut caſum. / Deprecatio. }

DE STATV LEGITIMO, QVID SIT.

Legitimus ſtatus conſtat partibus quatuor, ſcilicet { Definitione / Contrariis legibus / Ambiguis ſcriptis / Ratiocinatione. }

FIGVRAE TVM VOCABVLORVM TVM SENTENTIARVM.

TRES SVNT figurarum ordines.

Quorum { Primus pertinet ad dictionem tantum figurandam. / Secundus pertinet ad orationẽ figurandam. / Tertius pertinet non ad orationẽ tantum ornandam, ſed etiã auget corpus orationis: quẽ Cicero exornationes ſententiarũ vocat. Hic eſt Quintiliano vel forma amplificandi, vel argumenta. }

ORDO PRIMVS.

Ordo primus qui ad dictionem tantum figurandam ſpectat,

diuiditur in
- Tropum
- &
- Schema.

TROPVS eſt dictionis vel orationis mutatio à propria ſignificatione ad cognatam.

- Dictionis, vt
  - Metaphora
  - Onomatopœia
  - Synecdoche
  - Periphraſis, quæ fit
    - Etymologia
    - Notatione
    - Definitione
  - Catachreſis
  - Metonymia
  - Metalepſis
  - Antonomaſia.
- Orationis, vt
  - Allegoria. Allegoriæ ſpecies
    - AEnigma
    - Parœmia
    - Ironia
    - Sarcaſmus
    - Aſtyſmus
    - Mycteriſm9
    - Antiphraſis
    - Chariētiſm9
  - Hyperbole
  - εcon
  - Parabola
  - Paradigma.

Parabola tamen & Paradigma ad confirmandum potius pertinent, & inter argumēta recenſet Fabius.

SCHEMA eſt vocis inflexio, quæ auribus tantum inſeruit.

Eſtq; duplex vt

- Grãmaticum. eius genera ſunt
  - Orthographicũ. eius ſpecies ſunt
    - Protheſis
    - Epentheſis
    - Paragoge
    - Aphæreſis
    - Syncopa
    - Apocopa
    - Ectaſis
    - Syſtole
    - Synalœpha &c. vide Donatũ & Moſellani tabulas.

    Vſus horũ in carmine eſt
  - Syntacticum, eius ſpecies ſunt
    - Prolepſis
    - Zeugma
    - Syllepſis
    - Syntheſis
    - Synecdoche
    - Antiptoſis
    - Hyperbaton
- Rhetoricum eius ſpecies ſunt,
  - Repetitio
  - Complexio
  - Copulatio
  - Traductio
  - Aſyndeton
  - Polyſyndeton
  - Homœoptoton
  - Homœoteleuton
  - Hypallage
  - Paranomaſia
  - Anataclaſis
  - Apoſiopeſis
  - Ellapſis

ORDO SECVNDVS.

Ordo ſecundus pertinet ad orationem tantum figurandam.

Huius ordinis ſunt,
- Interrogatio
- Subiectio
- Exclamatio — Sub exclamatione cōtinētur: Imprecatio, Obteſtatio, Ominatio, Adhortatio
- Dubitatio
- Paradoxum
- Communicatio
- Permiſſio
- Licentia
- Auerſio
- Proſopopœia.

ORDO TERTIVS.

ORDINIS tertii ſunt, quæ Ciceroni exornationes ſententiarū dicūtur. Súntq; ea quæ ſequūtur,

ordinis tertii ſunt.
- Auxeſis
- Tapinoſis — Verbis fiunt ſingulis.
- Meioſis
- Synonyma
- Incrementum
- Gradatio
- Congeries
- Contentio
- Contrarium — Idem
- Antitheſis
- Commutatio
- Communicatio
- Regreſſio
- Reſponſio
- Præterito

Ordinis tertii ſunt,

- Paralepſis Idem
- Occupatio(quæ à Cicerone Pręſũptio dicitur, à Fabio occupatio,
- Tranſitio
- Metabaſis
- Correctio
- Interpoſitio
- Reiectio
- AEtiologia
- Confeſſio
- Δικαιολογία excuſatio eſt.
- Finitio
- Hypotypoſis
- Expolitio
- Diſtributio
- Diuiſio
- Proſopopœia
- Sermocinatio
- Chronographia
- Topographia
- Comparatio
- Sententia
- Apophthegma
- Epiphonema
- Clauſula
- Noema

Pathopœia, affectuum varietas, quæ petitur à circunſtantiis

- Sexu
- Temporibus
- Locis
- Perſonis
- AEtatibus &c.

GEORGIVS MAIOR CANDIDO LECTORI S.

EDidimus ante aliquot mẽſes optime lector, Philippi Melanchthonis de rhetorica Inſtitutiones, in figuram quandam tanquam faſciculum conſtrictas, quo ſtudioſa iuuentus, hæc prima rhetorices præcepta, non tam ex ipſo authoris libello cognoſceret, quàm hac tabella ſemper ob oculos verſante, atque ſubinde conſpecta prorſus imbiberet, ac velut animo inſculperet. Iam verò, cum omnis oratio ſit varianda & diſtinguenda quaſi quibuſdam verborum ſententiarúmque inſignibus, videbatur è re adoleſcentium futurũ, ſi duos iſtos Eraſmi Roterodami de Copia cõmentarios, eadem ratione in tabulam quandam contrahere: quòd multo facilius tum percipiantur, tum memoriæ cõmendentur & inſcribantur quæ explicata, & tanquam in aperto ac luce collocata, quàm quæ in libris & voluminib⁹ ſunt cõuoluta. Porrò hæc tabella nihil aliud quàm admonitoris vice erit, quæ ſcribentem commonefaciet, quæ quoque loco orationi facies ſiue color ſit tribuendus, vbi & qua ratione quid variãdum, quid breuius ſeu prolixius dici cõueniat. Cæterũ, ſi quid hic deſyderatũ fuerit, id ipſe cõmentari⁹ aliique authores præſtabunt atq; reſarcient. Poſtremo ele-

gantiorum literarum ſtudioſos adoleſcentes obſecro, vt hunc noſtrum conatum boni cõſulant. Cæterorum calumniam nihil moror.

Eſt enim nunc indoctũ doctorum hominũ genus, quos rectius hominũ peſtes quàm homines dixeris, quibus liberalia ſtudia bonæque res omnes ſordent: iſtis ſatis grauis pœna eſt ipſa ſtultitia. Vale.

In Eraſmi librũ

DE COPIA TABVLAE.

TRIPLEX EST COPIA.

Videlicet, { Dictionum / Orationum / Sententiarum.

DICTIONVM COPIA.

Dictionũ copia, quæ fit ſingulis vocabulis, conſiſtit in Synonymia, quæ eſt, cum diuerſa verba eandem omnino rem declarant.

vt { Enſis, gladius / Domus, ædes.

Huc pertinent quoque Sordida, Inuſitata, Poetica, Priſca, Obſoleta, Dura, Peregrina, Nouata.

ORATIONVM COPIA.

Orationũ copia multas habetvariandi rationes videlicet,

Enallagen	1
Antonomaſiam	2
Periphraſim	3
Metaphoram	4
Allegoriam	5
Catachreſim	6
Onomatopœiam	7
Metalepſim	8
Metonymiam	9
Synecdochen	10
AEquipolentiam	11
Comparatiua	12
Relatiuorũ cõmutatione͂	13
Amplificationem	14
Hyperbolen	15
Diminutionem	16
Compoſitionem	17
Conſtructionem	18
Mutationem figuræ.	19

1, Enallage eſt, cum voce modice deflexa, varietatis nõnihil conciliatur. Conſtat aute͂ potiſſimũ duob⁹ modis,
- Partis mutatione.
- Qualitatis nouatione.

Partis mutatio fit, cũ permutatur verbum
- Nomine,
- Participio,
- Supino.

vt { Non dubito, non eſt mihi dubium:
Amantem redama, Redama cum qui te amat:
Venit vt eripiat, Venit ereptum.

Qualitatis nouatio fit cum mutatur aut { Numerus
Perſona
Genus.

vt { Romanus prælio victor, pro Romani victores:
Quid facias? Vt homo eſt ita morem geras:
Lachrymat, pro Lachrymatur.

2. Antonomaſia eſt nominis permutatio, vt AEacides pro Achille. Nonnunquã epithetõ pro ipſo nomine ponitur. Liuius, Abundat multitudine hominum Pœnus. Pœnus pro Annibale.

3. Periphraſis rem quæ breuius ſignificari potuiſſet, latius oſtendit: vt Troiani belli ſcriptor, pro Homero.

Conſtat autem { Etymologia, cum nominis rationem explicamus.
Notatione, cum accidentium indicio aliquid ſignificatur.
Finitione, vt pro rhetorica, benedicendi ars.

4. Metaphora eſt quæ vocem propriam ad cognatam tranſfert. Hanc putat M. Cicero tanquam ſtellis quibuſdam illuminare orationem, planéque lumen orationi afferre.

Sumũtur autẽ metaphoræ à
- Deflectione
- Irrationali ad rationale
- Raticnali ad irrationale
- Animali ad nõ animal
- Nõ animali ad animal
- Animali ad animal
- Inanimato ad inanimatum.

Deflexio, quoties vox e propinquo ad rem proximam flectitur.

vt { Videre / Audire } pro { Intelligere / Obtemperare. }

Ab irrationali ad rationale, vt { Liuius: M. Portius Cato qui allatrare Scipionis magnitudinẽ ſolebat. Terẽt. Quid ille gannit? quod vulpiũ propriũ eſt. }

A rationali ad irrationale: vt ſi perfidum, vulpem dicamus.

Ab animali ad nõ animal, vt { Ridet ager, / Parturit arbos. }

A non animali ad animal, vt Ambo florẽtes ætatibus. Viridis ætas.

Ab animali ad animal, vt Paſcentes apes.

Ab inanimato ad inanimatum, vt Oratio fluit. Sylua ſcatet.

Sunt autem quędam metaphoræ, { ἀκολουθαὶ, vt gubernator & auriga, quæ poſſunt cōuerti. ἀνακολουθαὶ, vt vertex, quod recte ab homine ad mō tem tranſfertur: Cacumen quod montis eſt, non item.

5. Allegoria eſt multorum verborum continuata metaphora, vt, Iugulum petere, pro eo quod eſt, Cauſæ caput aggredi.

6. Catachreſis eſt verbi abuſio, vt cum dicimus Parricidam, qui matrem aut fratrem occiderit.

7. Onomatopœia fictio nominis dicitur, vt Taratantara. Huc pertinet Paragoge, id eſt deriuatio nouorum verborum ex analogia ſumpta, vt Syllaturire pro Syllæ mores imitari.

8. Metalepſis, cum ex vno ſignificato aliud colligitur, vt, Spelūcis abdidit atris. Nam nigtæ intelliguntur, & ex nigris obſcuræ, & per hoc in præceps profundæ.

9. Metonymia eſt tranſnominatio.

Fit autē cum ponimus { Inuentorē / Continēs } pro { Inuento / Contento.

Exemplū { primi, / ſecūdi } vt { Sine Cerere & Baccho friget Venus. / Epotos cados, Seculum fœlix.

Fit præterea & aliis quibuſdam modis.

10. Synecdoche (quam intellectionem vocant) cum intelligimus

ex { Vno plures / Parte totũ } vt { Pœnus fugatus, pro Pœni. / Mucronem pro gladio.

11. Æquipolentia, vt { Placet / Accipio } non { Diſplicet, / Recuſo.

12. Comparatiua, quæ copia naſcitur ex contrariis:

Prius / Poſterius } habet { lucrum / honeſtum } quàm { honeſtum / lucrum.

13. Relatiuorum commutatio, vt, { Vxor illius eſſe non vult, / Non vult illum maritum, / Non alium mihi patrem optem, / Nullius malim eſſe filius.

14. Amplificatio eſt, cum verbum atrocius ſubiicimus loco proprii,

vt cum dicimus { Latronem / Occiſum } pro { Improbo, / Cæſo.

Ad Auxeſim pertinẽt, { Scelus / Monſtrum / Peſtis / Labes. } &c.

15. Hyperbole, vt { Ocyor Euro, / Vox aſtra ferit.

16. Diminutio, cum eũ qui pulſauit, dicimus attigiſſe.

Interdum μείωσις ſapit hyperbolen,

vt, { Vix oſſibus hærent,
Breuior Pygmæo. }

17. Cōpoſitio ſita eſt in his fermè figuris, { Aſyndeto
Polyſyndeto
Syzeugmeno
Epanalepſi
Synonymia. }

Aſyndeton, vt Veni, vidi, vici.
Polyſyndeton, vt Tectúmque larémque.
Syzeugmenon, quoties ad vnum verbum plures ſententiæ reſpondent.

Fit autem trifariam: Cum { Præponitur,
Sequitur,
Interponitur. }

vt, { Defloreſcit forma vel morbo vel ætate,
Vel morbo vel ætate forma defloreſcit,
Aut ætate forma defloreſcit, aut morbo. }

Epanalepſis, Nihílne te nocturnū præſidiū palatii, nihil vrbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil cōcurſus bonorū omnium, nihil hic munitiſſimus habēdi ſenatus locus, nihil horū ora vultúſq; mouerūt? Cicero in Catilinā.

Synonymia, vt { Vicit timorem audacia,
Rationē ſuperauit amentia,
Libido pudorē expugnauit. }

18. Cõſtru- ctio, vt { Multũ pudorẽ, multũ pudoris, Scripſit mihi, ſcripſit ad me.

19. Mutatio figurę, quoties alio atque alio affectu pronuntiatur oratio.

Fit autem ferè per { Interrogationem, Ironiam, Admirationem, Dubitationem, Adiurationem, Abominationem, Exclamationem, Occupationem, Subiectionem.

Interrogatio, Nihil te eſt vanius, an quicquam te vanius?

Ironia, Non iſta curat populus, Id populus curat ſcilicet.

Admiratio, Magnum bonum porto, Dii boni, boni quid porto?

Dubitatio, Tũ deos contẽnit tũ homines, Haud ſcio magiſne deos cõtẽnat an homines.

Adiuratio, Nihil mihi charius fama, Diſpeream ſi quid mihi charius fama.

Abominatio, Eſt vir impurus, ô hominem impurum. Hoccine ſeculum, ô ſcelera, ô genera ſacrilega, ô hominem impium.

Occupatio, Virgines complures ſtuprauit, vt interim de veſtali inceſtu polluta ſileam.

Subiectio, An quod adoleſcens præſtiti, cũ

etiam errare cũ excuſatione poſſem, id nunc ætate præcipitata commutem ac retexam? Non faciam. Cicero epiſtolarum familiariũ libro vndecimo.

SENTENTIARVM COPIA.

LIBER SECVNDVS.

SENTENTIARVM copia eſt, cũ oratio amplificatur.

per

Diſtributionem	I.
Enumerationem	II.
Hypotypoſim	III.
Egreſſionem	IIII.
Epitheta	V.
Circunſtantias	VI.
Amplificationem	VII.
Propoſitiones	VIII.
Probationes	IX.
Tractationem locorum communiũ virtutum ac vitiorum	X.
Locos communes	XI.
Exempla	XII.
Tractationem exemplorum	XIII.
Exempla fabuloſa	XIIII.
Expolitionem	XV.
Apologos	XVI.
Somnia	XVII.
Fictas narrationes	XVIII.
Multiplicationem partium rhetoricarum	XIX.

I. Diſtributio eſt vel { Totius in partes, / Generis in ſpecies. }

Totius in partes, vt Totus monſtrũ eſt, Piloſæ genæ, dentes putridi, fœdi oculi, ſupercilia, frons, vultus denique totus barbarus eſt.

Generis in ſpecies, vt Luxuria cum omni ætati turpis, tum ſenectuti turpiſſima eſt.

II. Enumeratio, cum enumerantur rei { Occaſiones / Cauſæ / Conſilia / Acta / Euentus / Præcedentia / Conſequentia. }

III. Hypotypoſis conſiſtit deſcriptione { Rerum / Perſonarum / Locorum / Temporum. }

Hypotypoſis rerum conſiſtit in { Circunſtantiis / Collationibus / Similitudinibus / Diſſimilitudinibus / Imaginibus / Metaphoris / Allegoriis / Epithetis / Gentiũ formis & moribus. / Fabuloſis deſcriptionibus. }

Horum exẽpla paſſim multa habes, In primo Liuii, vbi Albæ excidium deſcribitur. Apud Fabium lib.8.cap.3.de Enargia.

Hypotypoſis perſonarum quæ depinguntur à
- Genere
- Natione
- Patria
- Sexu
- AEtate
- Educatione
- Diſciplina
- Studiis
- Habitu corporis
- Fortuna
- Animi conditione.

Exempla ſunt plurima, Apud Liuium libro primo Decadis tertiæ depingitur Annibal. Et libro nono Decadis quartæ M. Portius Cato. apud Saluſtium Catilina, & plerique alii.

Hypotyp. locorũ eſt duplex,
- τοπογραφία
- τοποθεσία

ſi eſt
- vera,
- ficta.

Vera, vt apud Maronem Carthaginis & portus deſcriptio.

Ficta, vt apud Ouidium domus Famæ.

Hypotypoſis temporũ comprehẽdit deſcriptiones
- Veris, Hyemis, Autũni, AEſtatis, Vindemiæ &c. item Qualitates tẽporum, Pacis, Belli, Seditionũ, Turbationum &c.

IIII. Egreſſio adhiberi ſolet
- Laudãdi, Vituperandi, } gratia
- Ornandi, Præparandi } gratia

Sumitur à ſuperioribus locis
- Expoſitione rerum geſtarum,
- Deſcriptione locorum & Apolog.
- Locis cõmunibus, cum dicimus in luxuriam, auaritiam &c. & contra, cum laudamus virtutes, continentiam &c.

V. Epitheta ſumuntur ab omnibus fortunæ commodis.

Animo, Corpore, Bonis externis, Genere, Opibus, Forma, Virib⁹, Patria, Actu, Euẽtu.

VI. Circũſtantiæ ſunt duplices, vt
- Rerum
- Perſonarum.

Rerum, vt cauſa, Locus, Occaſio, Inſtrumentum, Tempus, Modus &c.

Perſonarũ, vt Natio, Patria, Sexus, AEtas, Educatio, Diſciplina, Habitus corporis, Fortuna, Cõditio, Animi natura, Studiũ, Anteacta, Cõmotio, Conſilium, Nomen.

Incremento

Incremento, vt Cicero in Verrem, Facinus eſt vinciri ciuem Romanum, ſcelus verberari, propè parricidium necari, quid dicam in crucem tollere?

Comparatione, quæ fit fictione & exēpli collatione.

Ratiocinatione, vt Tu iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate, tantum vini exhauſeras &c.

Congerie, Verborum ſcilicet & Sententiarū,

Correctione, Cicero in Verrem: Non enim furem, ſed ereptorē: non adulterum, ſed expugnatorem pudicitiæ in veſtrum iudiciuṁ adduximus.

VIII. Propoſitiones ſumūtur ex his, quæ ſunt
- Vulgaria,
- Propria cauſę.

Exempla ſunt lōgiora quàm quæ hic poſſint recenſeri.

IX. Probationes quas Græci πίστεις appellāt, ſunt partim
- ἄτεχνοι, quæ ducūtur à Præiudiciis, Rumoribus, Tormentis, Tabulis, Iureiurādo, Teſtibus.
- ἔντεχνοι, quæ cōprehendunt. τεκμήρια σημεῖα.

Ab argumētis ducuntur quæ ſunt duplicia,
- Perſonæ ſunt hæc, Genus, natio, patria &c.
- Rei ſunt, cauſa, locus, facultas, antecedentia &c.

x. Tractatione locorum communium vir tutum & vitiorũ, quales ſunt, Iuſtitia, Iniuſtitia: Pax, Bellum: Luxuria, Continẽtia, Auaritia: Diuitiæ, Paupertas: Voluptas, Leges, Amicitia, Pietas.

xi. Locos cõmunes, ſeu argumenta quę ducũtur à Finitione, Etymologia, & ab his quæ ad naturam definitionis pertinent: Genere, Specie, Proprio, Differẽtibus, Partitione, Diuiſione, Exordio, Summa, Incremento, Inductione ſimilium & diſſimilium: Contrariis, Repugnantibus, Conſequẽtibus, Relatiuis, Cauſis euentus: Comparatione quæ ſumitur à Maiore, Minore & Pari, Iugatis, Fictione, Cauſæ propriis: Exemplis, quæ adhibentur aut vt Similia, Diſſimilia, Contraria, aut vt maiora, Minora, Paria. Huc pertinent Fabulæ, Apologi, Prouerbia, Iudicia, Parabolæ Collationes &c.

xii. Exempla, quorum vim quãmaximam maximéque variam comparare & in promptu habere conuenit.

xiii. Tractatione exemplorum quæ augẽtur Commendatione, quæ ſumitur vel à rei vel ab authoris laude vel gentis, vnde ducitur exemplum: Exaggerationibus, atque Amplificationibꝰ, Parabola, Comparatione vbi

mata, Epiphonemata, Contentio, Demonſtratiua. Collatione, quæ fit per Simile, Diſſimile, Contrarium, Par, Maius, Minus.

XIIII. Exempla fabuloſa, quæ eadem ratione & fuſius & cõtractius exponi poterũt, ſi res ac decor patietur.

XV. Expolitio fit commutatione verborũ pronuntiationis & tractationis.

Copioſiſſima autem expolitio cõſtat ſeptem partibus.
- Propoſitione
- Ratione
- Duplici ſentẽtia
- Contrario
- Simili
- Exemplo
- Concluſione.

XVI. Apologi, qui eodẽ modo dilatari aut verbo tantum ſignificari poterunt.

XVII. Somnia, quibus vtimur aut in oſtẽtatione, vt eſt Luciani ſomnium: aut pro veris, aut hortandi deterrendive gratia.

XVIII. Fictæ narrationes, quammaxime fieri poteſt, ad veri ſimilitudinem componãtur oportet.

XIX. Multiplicatio partiũ rhetoricarum, quæ ſunt,
- Exordium
- Narratio
- Propoſitio
- Confirmatio
- Confutatio
- Peroratio.

Exordium habet locos { Fauorem / Attentionem / Docilitatem.

Narratio creſcit ἐπιδιηγήσι & Egreſſione, quæ debet eſſe quaſi finis Narrationis. Propoſitio dilatatur, ſi pro ſimplici, duplici vtemur: ſi argumentis obiter interiectis, & affectibus accenſam proferemus.

Cõfirmatio conſtat probationibus, quæ creſcunt. { Labefactatione / Prę paratione / Aſſeueratione / Excurſionibus per amplificationem.

Labefactatio fit duobus modis: Propoſitionibus quæ ſunt ſingularum partium collectiones ſeu cõcluſiones : Cum ita proponimus, vt ipſa orationis figura fidem abrogemus aut conciliemus.

TABVLARVM IN ERASMI COPIAM FINIS.

Philippus Me-
LANCHTHON STV DIOSIS S.

E Xtat de Copia Eraſmi commentarius, cuius optarim vtilitatem vulgo tam perſpectam eſſe, quàm eſt titulus vbique notus. Quanquam enim opus in ſpeciem minutum videatur, tamen ſi propius inſpexeris, comperies vere eſſe quod audit, Copiæ cornu. Nam cum figuras omnes locupletandæ illuſtrandǽque orationis tradat & informet, non vulgarem eloquentiæ theſaurum continet. Miſeret me profecto iuuentutis noſtræ, cum video optimis quibuſque authoribus velut ordine motis, in pretio eſſe, amari, teri, libellos quoſdam ἐφημέρους, quorum alii ſimpliciter inepti, alii etiam pernicioſi ſunt. Catullus ſeculi incõmoda malos poetas vocat: nos quanto iuſtius de nouitiis illis ſcriptis queri poſſumus? Nullum eſt enim venenum præſentius malo libro. Quare oportuit iudicio optimos quoſque libros tãquam magiſtros ſtudiorum omnium ac officiorum vitæ deligere. Mihi verò nulli de hominum ingeniis melius mereri vi

dentur, quàm qui exercitationem dicēdi adiuuant. Nam reliquæ literæ omnes, vbi non acceſſerit vſus aliquis ſtyli, cum mutæ ſunt, tum ad acuendum animi iudicium non multum conducunt. Súntque ad dicendi ſcribēdíque exercitationem, tanquam ex vmbra in lucē, ex puluere in arenā proferendæ. Porrò cū hic libellus de copia mirifice conducat ad eā ſtudiorū partē, dignus eſt quem in deliciis habeas, ſumma cura euoluas atque ediſcas. Hoc ego religioſius moneo quòd intelligo quaſdam peſteis hominum eſſe, qui ab humanarum artium ſtudio imperitam iuuentutem dehortātur, digni ſane in quos publicis legibus animaduertatur. Crede mihi, opinione maior vis eſt harum artium, nec pœnitebit in his diſcendis operam ſumpſiſſe. Quare adhortor, ne quis patiatur hoc librorum genus importunitate cuiuſquam ſibi è manib⁹ extorqueri. Bonam operam nauauit adoleſcens, qui totum de Copia commentarium in hanc tabulam contulit & oculis ſubiecit, vt memoriam adoleſcentium adiuuaret.

Valete.

IACOBVS MICYLLVS AD LECTOREM.

Vt ſi non variis pinguantur floribus horti,
  Gratia non illis, non honor vllus adeſt:
Sic niſi ſit variis oratio tincta figuris,
  Illius & virtus & decus omne perit.
Si quem igitur fœlix oblectat Copia, ſi quem
  Pindareis tumidum paſſibus ire iuuat,
Sedulus has oculis verſet, manibúſque tabellas:
  Haud equidem hinc operæ pręmia parua feret.
Nec quia ſunt modicæ, Lector contēnere pergas:
  Menſuram vincunt vtilitate ſuam.

EXCVDEBAT ROBERTVS STEPHANVS ANNO M. D. XXXII. CAL. AVGVSTI.